

Collegii Disputatorii Theses Morales Theologicas exhibentis ...

Disputatio I.

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1713]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003408974>

Band (Druck) Freier  Zugang 

RU theol. Febr. 1713

Aepinus, Fr. Alb.


1a

Q. D. B. V.
COLLEGII DISPUTATORII
**THESES MORALES
THEOLOGICAS**

exhibentis

DISPUTATIO I.

Qvam,



Consentiente Summè Rev. FCtate Theologica,

PRÆSIDE

**FRANCISCO ALBERTO
ÆPINIO,**

PH. & TH. D. LOG. PROF. DUC. PUBL.

D. FEBRUILII, ANNO MDCCXIII.
ventilationi expositurus est

JOHANNES FRIDERICUS ÆPINUS,

ZARRENTIN - MECKLENB.

Ph. & Th. St.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Amplissimi
Senatus Typographi.

THESIS I.



Niversæ Theologiæ objectum sunt *Credenda*, qvæ ita fidei subsunt, ut formaliter nullam operationem prescribant aut dirigant, abs hominibus autem ad æternam salutem contendentibus, propter divinum testimonium, pro veris haberi ac credi debent; & *Agenda*, qvæ sunt ipsæ operationes à Theologiæ ex Verbo DEI prescriptæ ac directæ, immodicabilius practici per operationes acqvitendi, & ad operationem transferendi. Hæc autem non ut opposita, sed tanquam subordinata distinguntur, siqvædem Agenda, qvatenus supernaturaliter revelata sunt, etiam credenda dici possunt, cum credendum sit omne id, qvod DEUS revelavit; Credenda autem, qvatenus ad operationem deducenda sunt, etiam agenda rectè dicuntur, qvamvis non formaliter, virtualiter tamen talia. Ex qvibus intelligi potest, quomodo distinguitur inter Theologiam Dogmaticam & Moralem sive Practicam. Non enim est distinctio habitum specie diversorum, sed qvæsi partium unius completi habitus. Non distinctio oppositorum, sed subordinatorum, siqvædem Moralis Dogmaticam velut fundamentum presupponit. Qvia vero aliquando Credenda, ut talia, sola proponuntur, non offenso simul, qvomodo ad praxin tendant; aliquando vero, presupposita credendorum notitiâ, purè practica traduntur, prouti & alias notitia sine usu & applicatione esse potest: Hinc Theologia, ob diversum illum objecta sua considerandi modum, in Didacticam & Moralem sive Practicam strictè dictam distingvi sivevit.

THESIS II.

Minimè tamen inde sequitur, Theologiam esse habitum mixtum, partim Theoreticum, partim practicum, qvemadmodum cum Scholasticorum multis sentiunt *LEYDENSES in Synops. Theol. Disp. I. §. 22.* *MARESIUS in Syst. Theol. Loc. I. §. 12.* aliique. Manet nihilominus ea habitus purè practicus, qvia ultimum ejus, ad qvod tendit, praxis est: ab ultimo autem tanquam potiori fit denominatio. Qvod si habitus Theoretico-Practicus esset, oporteret, theoriam & praxin esse coordinata, qvæ vero heic subordinata sunt, hac istam præreqvirente ac presupponente,

THE-

THESIS III.

Potest Theologia Moralis dupli in respectu considerari, ex quo in Dogmaticam & Pragmaticam distingvatur. *Dogmatica* præcepta & dogmata de moribus Christianorum ex Verbo DEI revelato tradit, explicat, confirmat atque defendit: prout ad habitum scientificum istud reqviritur. *Pragmatica* hausta ante præcepta in singulari ad actiones & mores applicat, ut secundum illa singulares Christianorum actiones instituantur. Hæc istam iterum præsupponit, quanquam etiam una sine altera esse queat. Quemadmodum enim, quantum ad credenda attinet, inter Theologiam Catecheticam, quæ simplicium Christianorum est; & Acroamaticam, quæ in Doctoribus Ecclesiæ reqviritur; distingvere slevimus: Ita Theologia Moralis Pragmatica sive prudenter agendi Christiana in quolibet quidem Christiano reqviritur, quoad Dogmaticam autem simplicioribus sufficit, si quæ agenda, quæ fugienda, noverint, etiamsi eadem alios, id quod habitus scientifici est, docere ac defendere non valeant. Sic quoque Dogmatica dari in aliquo potest, nihilominus Pragmatica destituto. Nam non omnes servi, qui cognoverunt voluntatem Domini sui, secundum eam faciunt, *Luc. XII. 47.* Multi quoque scientia quidem gaudent, non tamen satis prudenter habent aliorum mores formandi ac dirigendi. *Conf. Gebh. Theod. MEIERI* *Introduct. in Univers. Theol. Moral. Stud. Cap. XX. S. 3. 4.*

THESIS IV.

Futuro Ecclesiæ Ministro ad officium olim suum recte debitèque obeundum Theologiae Moralis Studium summè necessarium esse, manifestum est ex fine Scripturæ S. in ordine ad Ministerium Ecclesiasticum, indicato 2. *Tim. III. 16. 17.* Juxta quem locum aptitudo docendi, redarguendi, corrigendi, instituendi in justitiâ, in Ministro Ecclesiæ reqviritur. Jam vero ad doctrinam & redargutionem aptum eum reddit Theologia Didactica strictè dicta: ad illam quidem Positiva, ad hanc Polemica; ast ad correctionem & institutionem in justitiâ quæ eum aptum reddat, Theologia Moralis est. Sicuti igitur sine Theologia Positiva rectè docere, & sine Polemica Adversarios veritatis solidè refellere, pro presente statu, nemo potest; ita sine Morali mores Christianorum rectè ac debite formare non valebit. Qui igitur sufficienter, & non ex parte tantum, officio suo defungi vult, Theologiae Morali strenuam operam naveret, necesse est.

THESES V.

Merito igitur gravissimi Theologi Studii Theologiæ Moralis defectum atque neglectum deplorant. Qui tamen non semper Doctoribus, sed cum primis Theologiæ Cultoribus ipsis imputandus, satis superque ad officium docendi se præparatos arbitrantibus, si quoddam Theologiæ Positivæ Compendium qualicunque cum attentione audirent explicatum, quos non tam Theologie, quam alterius tantum Theologie partis, id est, si ita loqui fas est, Semi-Theologie Studiosos dicendos esse, graviter pronuntiat Præceptor noster ac in Christo Pater maximè Vener. Dn. D. FECHTILLUS Pref. ad Exeg. Schamer. in Ep. ad Ebr. §. 20. ubi & præc. §. 19. tam Doctores Theologiæ admonet, quia magis excolendi hujus Studii maiorem in se operam suscipiant, quam Cultores Theologiæ ad Studium hocce diligenter & majore cum ardore tractandū seriè cohortatur. Hujus namque ex intermissione evenit, quod multi tempus concionibus habendis destinatum Historiis enarrandis, aut subtilitatibus criticis, aliisve ædificationi Auditorum parum vel nihil inservientibus, terunt, Moralibus neglectis ac posthabitatis. Aut, si & horum perpaucæ & quasi de superfluo addunt, insufficenter tamen ea tractant, in solis ferè motivis subsistentes, nec ostendentes veram prudentialm Christianam ad virtutes istas pervenienti, impedimenta illarum agnoscendi ac removendi & per certa signa seipso explorandi. Cujus olim D E O, supremo animarum Pastori, rationem reddere tenebuntur.

THESES VI.

Nec putandum est, opus non esse Theologiam Moralē systematicè, in certo quodam ac conveniente ordine materiarum, tractari, cum moralia & quæcunque homini Christiano facienda in sacrarum Scripturarum Codice sufficienter satisque clare sint proposita. Nam & hoc ipsum de Theologiæ Positivæ dicendum foret, siquidem & omnia Christianis creditu necessaria sufficienter in Scripturis tradita reperiuntur. Ast verò, quæ inibi sparsim proposita exstant, in compendia contrahere inque justum redigere ordinem, ut ad unam materiam spectantia simul omnia uno in loco ordinatè exhibeantur, non utile duntaxat, sed & melioris doctrinæ ac memorie juvandæ ergo necessarium est. Quæcunque igitur argumenta pro systematica Theologiæ Didacticæ strictè dictæ tractatione pugnant, militant quoque pro disciplinari Moralis

Moralis Theologiaz dispositione. De illis verò legatur, ac ad præsens-
tem materiam applicetur Dn. D. FECHTII Disp. de Studii Biblici cum
Systematico connexione, bujusque divinā origine.

THEISIS VII.

Uti in Theologiā Didacticā strictè dicta articuli fidei
in puros atque mixtos distingvuntur, quorum isti ex solā revelatione
divinā cognoscuntur; hi autem non solum ex divinā revelatione credun-
tur, sed ex lumine naturæ sciuntur; sic etiam Moralia alia purè Theolo-
gica sunt, quæ ex solā divinæ voluntatis revelatione nota nobis sunt;
alia vero in se mixta dici possunt, quia etiam ex lumine rationis agno-
scuntur, ad quæ scilicet Jus Naturæ natura notum homines obstringit,
præterquam quod & in Scriptura S. eadem illis injunguntur. Nihilo-
minus, sicuti in Theologiā Didactica; ita quoque in Morali sola Scri-
ptura S. pro principio cognoscendi agnoscenda atque habenda est.

THEISIS VIII.

Interim in Thologia Morali Philosophorum, etiam Gen-
tilium, monita dictave adducere non illicitum est, partim ad ostendendū Luminis Naturæ cum Lumine Scripturæ consensum, partim ut
pudeant Christiani, audientes, abs Gentilibus approbatum ac pro recto
habitum fuisse, quod ab illis negligitur. Benè AUGUSTINUS Lib. II.
de Doctr. Christ. Cap. XXXIX. Philosophi, scribit, etiam Gentiles si quæ
fortè vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non
solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis Possesso-
ribus in usum nostrum vendicanda. Sicut enim Ægyptii populo exenti
vestem usaque aurea & argentea, quibus non bene utebantur, prae-
cepto DEI commodabant: Sic doctrina omnes Gentilium liberales Disci-
plinas usui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta utilissima
continent, deque ipso uno DEO colendo non nulla vera inveniuntur apud
eos; quod tanquam aurum & argentum debet iis afferre Christianus
ad usum justum predicandi Evangelii. Haud tamen Conciones Gentil-
ium Sapientum dictis ac monitis magis, quam Spiritus Sancti in Scri-
pturâ S. exornandæ sunt, ceu perperam aliquando fieri videmus, quin
potius cogitandum semper sit & illud AUGUSTINUS. C. 4r. Quantum
minor est auri, argenti vestisque copia, quam de Ægypto secum abstuleret
(Israëlitæ) in comparatione divitiarum Salomonis; tantis fit cuncta
scientia, quæ quidem est utilis, collecta de libris Gentium, si divina-
rum Scripturarum scientia comparesar.

THE-

THESIS IX.

Qvoniara Scriptura Sacra hominem eruditum reddere potest ad salutem per fidem qvæ est in Christo Jesu, & utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem qvæ est in justitia & ita quidem, ut integer sit homo DEI, ad omne opus bonum apparatus, 2. Tim. III. 15. 16. 17. hinc Theologia Moralis non magis, qvam Dogmatica, immediatis indiget revelationibus. Fanaticum sicutur est, qvod Auctor Theol. Comparativ. p. 23. apud JAEGERIUM Exam. Theol. Myst. Cap. IV. p. 23. 24. scribit: Modum docendi homines de voluntate DEI per verbum scriptum, crassum esse & corporeum, ex eo, qvia per sensus externos in mentem penetret; qui ideo à DEO in subsidium vocandus fuerit, qvoniama interna Spiritus Sancti manifestationes, in determinius semper ruente seculo, ab irregenitis percipi non potuerint; Spiritus enim Sancti vocem lenem esse, tranquillam ac submissam, qvæ in cordibus regenitorum doceat. Pro irregenitis itaque saltem esse Codicem S. regenitos verò corporeo illo modo opus non habere; illos enim à DEO immediate doceri. Qvæ uti Scripturæ S. dignitatem, efficaciam & sufficientiam elevant, eique contrariantur; ita ut impia atque blasphemia rejicienda sunt atque abominanda,

THESIS X.

Finis Theologiae Moralis est vita sanctimonia, non imputata, qvæ Christi est, nostra autem fit per fidem, unde Christus nobis factus dicitur ἀγιασμός 1. Cor. I. 30. sed inheissa: eaque non passim considerata, qvæ DEus in renovatione nos sanctificat; sed spectata active, qvâ homo renatus viribus spiritualibus in regeneratione acceptis opera sanctitatis facit, prouti sumitur Rom. VI. 19. 2. Cor. VII. 1. Ebr. XII. 14. Eaque consistit in conformitate actionum hominis renati cum praescripto Legis divinæ, dirigentis ejusdem officia erga DEum, erga seipsum, & erga proximum. Adeoque Compendium quasi totius Theologiae Moralis traditur à Paulo Tit. II. 11. 12. Illuxit gratia DEI salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis concupiscentiis, sobrie, & juste, & piè vivamus in praesenti seculo.

THESIS XI.

Causa efficiens principalis sanctimoniae hujus DEUS Trinunus est, 1. Theff. V. 23. & per appropriationem Spiritus S. Rom. I. 4. Causa autem instrumentalis sunt Verbum & Sacraenta, Baptismus quidem

qvidem qvoad virium sancte vivendi collationem, *Tit. III. 5.* Coena Dominica qvoad illarum confirmationem. Non autem DEus heic solus operatur, qvatenus sanctimonia in actu secundo spectatur, sed homo regenitus ad eandem efficienter concurrit, non naturalibus suis viribus, sed viribus gratiae in regeneratione seu conversione ipsi collatis, unde renati jubentur sectari sanctimoniam, *Ebr. XII. 14.* perficere sanctitatem, *2. Cor. VII. 1.* sanctificare DEum in cordibus suis, *1. Petr. III. 15.* Attamen non agit homo cum DEO coordinate, sed subordinate, ut causa secundaria, ita ut gratia DEI natura prius moveat hominem, qvam is per gratiam motus agat, *Confer. SCHERZERUS System. Theol. L. XVII. §. 4.*

THEISIS XII.

Principium directivum actionum sanctarum exterrnum principale est lex divina, non solum naturalis, qvæ à DEO omnium hominum cordibus inscripta, *Rom. II. 15.* sed & positiva, qvatenus illa hominem obligat. Secundarium est lex humana, sive Ecclesiastica fuerit sive Politica, hominis regeniti actiones dirigens, adeoque suo modo faciens ad profectum in studio pietatis, *1. Cor. XIV. 26. 40* qvatenus divinæ Legi non repugnat. Hujus enim etiam ea vis est, ut subjectos obliget in conscientia, *Rom. XIII. 5. 1. Pet. II. 13.* Qvodsi verò lex humana injusta fuerit, obligare subditos non potest, sed DEO magis erit obediendum, qvam hominibus, *Act. IV. 19. V. 29.*

THEISIS XIII.

Lex naturalis (nimis præceptiva, nam permissiva propriè loquendo lex non est) absolute est immutabilis, ita ut DEus ipse nec eandem abrogare, nec ei derogare, nec in ea dispensare possit. Quemadmodum enim impossibile est, hominem non esse naturam rationalem sive hominem; ita impossibile est, Leges naturales rationali hominum naturæ convenientes tollere, sive permittere, ut homo citra peccatum conta naturam suam agat. Et impossibile est, DEum justissimum præcipere, qvæ necessariò prohibita sunt, aut prohibere, qvæ necessariò sunt præcepta. Neque potest DEus æternæ suæ legi qvidqvam contrarium constituere, qvia alias DEus ipse foret mutabilis. Interim objeta juris Natura haud raro mutantur, & sic sit, ut in his actibus, de quibus jus Natura aliquid constituit, imago quædam mutationis fallat incaentes, cum revera non jus Natura mutetur, qvod immutabile est, sed

res?

res, de quâjus Natura constituit, quæque mutationem recipit: ceu lo-
quitur GROTIUS Lib. I. de jur. Bell. & Pac. Cap. I. §. X. n. 6.

THESIS XIV.

Legem Moralem in Novo Testam. respectu regenitorum atque fidelium qvoad rigorem exactioñis abrogatam esse, qui dicant, inter Theologos nostros reperiuntur, uti KOENIGIUS Theol. Positivo-Acremat. Part. III. §. 645. qvibus ab aliis rectissimè contradicitur, qui obligationem & rigorem exactioñis etiam nunc, & qvoad regenitos qvoque durare affirmant. Ita DN. D. FECHTIUS Syllog. Recent. Controv. Disp. XXXIV, tb. 12. Lex moralis, scribit, neque qvoad justificationem, neque qvoad maledictionem, neque qvoad rigorem exactioñis, neque qvoad coactionem abrogata est, sed in Veteri Novoque Testamento eadem semper manet. Qvæ iterum repetuntur Disp. XXXIX, tb. 8. & probantur ex Luc. X. 28. Cui addi potest locus clarissimus Rom. III. 31. ubi expresse monet Apostolus, Legem non irritam fieri per fidem, sed potius stabiliri. Nam & regenitos juxta Legem vivere DEus vult, qvorsum pertinent omnes adhortationes, promissiones servantibus, & comminationes transgressoribus factæ, qvæ alijs qvoad regenitos irritæ forent atque frustrance. Etiamsi enim à maledictione & coactione legis per Christum liberati sint regeniti, obligatio tamen legis in eos cadit, ut secundum illam ceu regulam vivant. Ethic est tertius ille usus Legis, qvem contra Antinomos defendit Form. Conc. Art. 6. Evidem Gal. V. 18. Paulus dicit: Si Spiritu ducimini, non estis sub Lege; non autem hisce obligationem legis & rigorosam exactioñem negat; sed tantum indicat, eos, qui à Spiritu S. ducuntur, non agere ex metu legis terrentis aut formidine poenæ, sed ferri ad bona opera spontaneo ductu Spiritus Sancti, & regi per ipsius gratiam. Idqve patet ex vers. 22. s̄q. ubi opera Spiritus dicuntur, qvæ omnino à lege
præcepta sunt, & secundum legem
sunt.



(o)

qvidem qvoad virium sancte vivendi collationem, *Tit. II.*
 minica qvoad illarum confirmationem. Non autem D
 operatur, qvatenus sanctimonia in actu secundo spectat
 regenitus ad eandem efficienter concurrit, non naturalibus
 viribus gratia in regeneratione seu conversione ipsi colla
 jubentur sectari sanctimoniam, *Ebr. XII. 14.* perficer
2. Cor. VII. 1. sanctificare DEum in cordibus suis, *1. Petr.*
 men non agit homo cum DEO coordinate, sed subordina
 eundaria, ita ut gratia DEI natura prius moveat hominem
 gratiam motus agat. *Confer. SCHERZERUS System*
XVII. §. 4.

THEISIS XII.

Principium directivum actionum sanctarum
 principale est lex divina, non solum naturalis, qvæ à DEO
 minum cordibus inscripta, *Rom. II. 15.* sed & positiva,
 hominem obligat. Secundarium est lex humana, sive Ecclesie
 sive Politica, hominis regeniti actiones dirigen, ade
 do faciens ad profectum in studio pietatis, *1. Cor. XIV. 2.*
 divina Legi non repugnat. Hujus enim etiam ea vis est
 obliget in conscientia, *Rom. XIII. 5. 1. Pet. II. 13.* Quia
 humana iusta fuerit, obligare subditos non potest, sed Deum
 obediendum, qvam hominibus, *Act. IV. 19. V. 29.*

THEISIS XIII.

Lex naturalis (nimurum præceptiva, nam
 propriè loquendo lex non est) absolutè est immutabilis, ita
 nec eandem abrogare, nec ei derogare, nec in ea disp
 Quemadmodum enim impossibile est, hominem non esse na
 nalem sive hominem; ita impossibile est, Leges naturales
 minum naturæ convenientes tollere, sive permittere, ut ho
 catum conta naturam suam agat. Et impossibile est, DEum
 præcipere, qvæ necessariò prohibita sunt, aut prohibere, q
 sunt præcepta. Neque potest DEus æternæ suæ legi qvide
 rum constituere, qvia alias DEus ipse foret mutabilis.
 Ita juris Natura haud raro mutantur, & sic sit, ut in his acti
 bus jus Natura aliquid constituit, imago qvædam mutatio
 cantus, cum revera non jus Natura mutetur, qvæ immu

